



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.  
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,  
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

**Berti, Giovanni Lorenzo**

**Monachii [u.a.], 1749**

Caput I. Quid sit humanum officium, de quo pertractandum est, & quo pacto cum metu, concupiscentia, & ignorantia meritum comparetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

# CAPUT I.

Quid sit humanum officium, de quo pertractandum est,  
& quo pacto cum metu, concupiscentia, & igno-  
rantia meritum comparetur.

## SUMMARIUM.

1. Humanum officium definitur.
2. Latius est voluntarium, quam liberum.
3. Quomodo se habeat ad voluntatem coactio.
4. An metus gravis faciat non voluntarium.
5. Oppositio, & solutio.
6. An concupiscentia tollat rationem voluntarii.

7. An consistat cum ignorantia libertas, & ejus divisio.
8. Ignorantia invincibilis excludit voluntarium, ac liberum.
9. De bonitate, & malitia humanis Officiis indita.

1.  
Humanum  
officium de-  
finitur.

NON aliud humanorum Officiorum nomine intelligo, quam opera, in quorum exercitatione sita est vitæ honestas, vel turpitudine, sive ut in consuetudine sermonis habemus, humanus actus. Placuit autem illo potius nomine uti, quod agere dicantur mortua quoque elementa, bruta, & ipse homo operans absque deliberatione, & consilio, sed persolvere, aut servare officium nemo jure dicitur, qui implenda munera inspectione, & libertate non suscipit. Neque nova intrudo vocabula, sed quæ cum Tullio omnes Latini probarunt, cum Ambrosio autem, cæterisque Patribus Augustinus. Est itaque humanum officium, *Actio ex deliberata voluntate procedens*: qua definitione describunt Theologi humanum actum. Qui ut humanus dicatur, sitque sub dominio, ac potestate rationalis creaturæ, requirit motum liberum voluntatis, ideoque deliberationem proficiscentem ex advertentia rationis; hoc est, debet esse voluntarius, ac liber.

2.  
Latius est  
voluntarium  
quam libe-  
rum.

Et voluntarium quidem habet quamdam majorem, quam habeat liberum, latitudinem. Nam voluntarium dicimus intrinsecum motum voluntatis erga objectum lumine rationis propositum, sive spontaneus sit ille motus, nec possit illum voluntas refugere, qualis est propositio ad bonum in communi, & inflexibilis beatarum mentium erga summum, & incommutabile bonum amor: sive perseveret in voluntate optionis potestas, & facultas reluctandi, cujusmodi est boni mutabilis delectatio, & ipse amor Dei in tenebrosa hac mortalitate, ubi nondum quid Deus sit mentibus humanis apparuit. Quando autem hæc optio, & reluctandi potestas viget in voluntate, ejus motum non solum voluntarium appellamus, sed etiam liberum: & ideo voluntarium tollit externa vis, & coactio, liberum vero necessi-

tas ineluctabilis, quanquam adjuncta sit plenissima spontaneitati, ac lubentia. Verum hæc omnia tam aperte explicavi lib. de Divina Scientia cap. 13. Regula v. lib. de Angelis cap. xiiii. de primo Homine cap. x. de Hæresi Pelag. cap. pariter decimo, de Hæresi Luther-Calviniana cap. 2. & 3. & de Janseniana cap. 1. ut certa mihi hæreat animo persuasio, superfluum esse quidquam addere, vel ad percipiendam libertatis naturam, vel ad removendam ab Augustiniana doctrina suspensionem quamlibet Jansenianæ.

Postquam ergo ideam voluntatis, ac libertatis præformavimus, atque dissipare studuimus densam, & circumfluentem caliginem, respondendum breviter variis quæstionibus à Scholasticis in limine hujus Tractatus propositis. Ac primo inquirunt quomodo se habeat ad voluntatem coactio, per quam homo aliquid facit invitus, ut dum trahitur ad carcerem, projicit in tempestatibus merces, atque aggressoribus pecunias tradit, aliaque facit gravi metu coactus. Ad quam disquisitionem una est omnium responsio, nunquam voluntatem cogi quoad actus elicitos, propriam scilicet inclinationem, amorem, odium, delectationem; cogi tamen quantum spectat ad actus imperatos, eos scilicet, qui diversis à voluntate facultatibus perficiuntur: cujusmodi sunt cernere, loqui, scribere, ambulare, quæ peraguntur oculi, oris, manus, & pedum ministerio. Quod alibi notatum est, & hac ratione apertissime demonstratur. Ut impossibile est idem esse, & non esse, ita fieri nequit, ut voluntas simul velit, & non velit. Cogi ergo invita non potest, alioqui vellet nolendo, & fugiendo diligeret, sive vellet & non vellet, diligeret & non diligeret: quod diximus repugnare. At corporis instrumenta, per quæ conceptam ex let

3.  
Quomodo se  
habeat ad  
voluntatem  
coactio.

in-

inclinacionem, possunt optime ab exterioribus causis impediri, vel retardari: ideoque accidit saepenumero, ut quod cupimus, non valeamus complere causis aliquibus adversantibus. Atque hoc est voluntatem cogi in actibus imperatis, id est plura facere, aut praetermittere, invitam licet, ac repugnantem. Per quæ priori quæstioni breviter satisfactum est.

4. Affinis est altera, an metus gravis efficiat, ut opus quod patrat, dici voluntarium non debeat. Cui sane quæstioni obvia est responsio, si distinguamus duplex voluntarii genus. Aliud quippe est quod ita efficaciter volumus illius honestate, aut utilitate allekti, ut nequaquam ad illud omittendum opere animoque inducamur, quarumque rerum circumstantia accedente. Atque istud appellant scholæ *voluntarium simpliciter*: & locum habet in omnibus quæ à voluntate eliguntur circumstantiis singulis spectatis; sit in exemplo confessio martyrum Christum etiam laniato corpore profitentium. Voluntarium est aliud, quod per se quidem voluptatem, & amorem sui ingenerat, atque voluntas illud lubentissime amplecteretur, sed adversantibus causis majus pondus habentibus deferitur, ac projicitur. Istud vero appellant Scholastici *involuntarium secundum quid*, absolute autem secundum se voluntarium; cujusmodi est in mercatore voluntas projiciendi merces, dum imminet naufragium. Hac vero distinctione præmissa dicimus in iis, quæ sunt ex metu haberi dubitaxat rationem involuntarii *secundum quid*, fieri tamen actionem lubenter, voluntarie, ac libere. Et ratio est; quoniam dum homo metu operatur, v. g. projicit merces in mare, aut porrigit aggressori crumenam, non operatur absque advertentia rationis, sed judicat propriæ vitæ conservationi cum merces, tum pecunias esse postponendas; ideoque operatur cum advertentia, & optione: quæ duo sunt cardines voluntatis, ac libertatis. Quoniam vero tenetur adhuc mercium, & pecuniarum amore, neque illas amitteret in discrimine periculoque vitæ minime constitutus; hinc est, quod invicem conflant amores duo, unus vitæ, alter nummorum, & ille istum superat animum dissipando, ideoque non sine reluctantia, vehementique pugna privat se homo bonis cæteris pro vita servanda: quod diximus communiter appellari involuntarium *secundum quid*. Atque ex his liquet non eo sensu metum reddere

involuntarium *secundum quid*, quasi reluctantia illa, & minor propensio voluntatis efficiatur à metu, cum oriatur aliunde, scilicet ab affectu repugnante actioni, ad quam metus impellit: sed ideoque dicitur, inducit metum involuntarium *secundum quid*, quoniam trahitur voluntas ad illam actionem, à qua proculdubio abstineret, si metus non adesset. Nec aliud principium habet metus ipse, quam amorem boni alicujus, quo affecti metulimus, quicquid potest nos eodem bono privare.

Pugnat adversus dicta, quod leges rescindant contractus, ac vota, quæ sunt gravi metu impellente: cujus rei nulla alia causa videtur proferenda, nisi quia carent voluntatis consensu. Sed respondemus, contractibus, qui ad humanam societatem, ac mutuam benevolentiam sunt instituti, hanc à legibus appositam conditionem, ut non sola libertate statuatur, verum etiam careant iis adjunctis, quæ societatem ipsam humanam lædunt, ac scindunt: cujusmodi est uti minis, ac violentia in celebrandis contractibus. In votis pariter respicit Deus non voluntatem duntaxat, sed voluntatem, libertatemque plenissimam, utpote qui non indiget rerum nostrarum oblatione, sed attendit voluntatis fervorem. Caterum si metu quantumvis gravi, proximæ etiam, ac truculentissimæ mortis, tentaret quispiam nos ad peccatum inducere; si præbeamus assensum, nequaquam dicemur sine culpa peccasse. quod satis est ad probandum ea, quæ metu patrantur, non esse absolute, & simpliciter involuntaria.

Quæstio proxima est de concupiscentia, num ipsa saltem tollat ab humano opere rationem voluntarii. Cui respondendum est negative. Cum enim in voluntario attendi debeat advertentia rationis, & amor, seu propensio voluntatis, atque dum fervet concupiscentia, cupidius mutabilia bona appetantur; consequens est concupiscentia voluntarium non minui, sed augeri, in quantum voluntas fertur ad bona fluxa, & commutabilia, quorum voluptatem ad distinctionem sanctæ delectationis appellamus concupiscentiam. Quod si loquamur de inclinatione voluntatis ad bonum, cui contrahitur infeminata cupiditas, dico concupiscentiam minuire voluntarium, propterea quod lucta, ac pugna cupiditatis animum diverberando, efficit ne bonum prosequatur vehementiori nisu, & charitatis ardore: atque ita concupiscentia extincta, & sum-

4. An metus gravis faciat non voluntarium.

5. Oppositio & solutio.

6. An concupiscentia tollat rationem voluntarii.

ſummo bono apertiffime revelato, neceſſum eſt, ut illi voluntas adhæreat, nulla permanente optione, vel indifferētia libertatis. Quid autem ſi concupiſcentia adeo vehemens ſit, & robuſta, ut omnem rationem perturbet, nec ſupernæ gratiæ lumen aſſulgeat? Foret in eo caſu extenuata quidem vis voluntatis in ordine ad bonum, & perturbata ſenſibilibus rerum permixtione acies mentis; ſed perſequeretur adhuc liberi arbitrii ſub morali quadam neceſſitate facultas; quoniam nullum bonum ſenſibile poteſt rationalis creaturæ animum inſuperabili neceſſitate compellere.

7.  
An conſiſtat  
cum igno-  
rantia liber-  
tas & ejus  
diviſio.

Proxima eſt quæſtio, an conſiſtat cum ignorantia libertas. Quam breviter reſolventes (nam de ignorantia agendum eſt ſpecialiter) dicimus, aliam eſſe ignorantiam invincibilem, aliam vincibilem. Invincibilis ignorantia eſt illarum rerum, quas aliquis etiam omni adhibita diligentia ſcire non poteſt, ut ignorantia myſteriorum fidei in his, quibus nondum annuntiatum eſt Evangelium. Ignorantia autem vincibilis ea eſt, quam aliquis ſuperare poteſt, ut ignorantia noſtra de plurimis veritatibus in ſacris canonibus, & decretis Romanorum Pontificum expreſſis. Hæc autem ignorantia, vel eſt eorum, quæ quis ſcire tenetur, & poteſt, negligit tamen illa adſcere, vel etiam affectat ignorantiam, quo liberius peccare poſſit; vel eſt ignorantia illarum rerum, quas poteſt quidem aliquis ſcire, ſed nullatenus ſcire tenetur. Verſatur autem omnis ignorantia, vel circa juſ, vel circa factum. Dicitur ignorantia juris, quæ circa legem verſatur, ut ſi ignoret aliquis hunc contractum eſſe illicitum, hunc conſanguinitatis gradum dirimere matrimonium. Ignorantia facti ea eſt, qua ſciens legem ignorat num opus, quod exercet, ſit ejusdem legis ſubſtratum: ut Abimelech ſciens tangendam non eſſe alienam uxorem concupivit Saram, quam ignorabat nuptam Abrahamo, & Jacob ſciens non eſſe comprimendam virginem, niſi connubium præceſſerit, dormivit cum Lia quam opinabatur eſſe deſponſatam ſibi Rachelem.

8.  
Ignorantia  
invincibilis  
excludit vo-  
luntarium,  
ac liberum

His itaque conſtitutis, dicimus ignorantiam invincibilem, ſive juris ſit, ſive facti, excludere penitus voluntarium, ac liberum, ideoque & actuale peccatum; quod nullum proſecto eſt, niſi ab eo liberum ſit abſtinere, ut multis argumentis evicimus de H. Calviniana cap. 2. & 3. ſolutis iis, quæ ex adverſo objectant heterodoxi. Tolli autem per ignorantiam invincibilem voluntarium  
R. P. Berti Theol. Tom. IV.

conſtat ex allata ſuperius voluntarii definitione. Ac propterea rectiffime damnata fuerunt illa aſſerta: *Infidelitas negativa in iis, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt: &, Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccatoformali.* Ignorantia autem vincibilis, ſi ob ſolam negligentiam ea quiſpiam laboret, quam ignorantiam *Craſſam* dicimus ſermonis uſu, minuit quidem voluntarium, & qui ex tali ignorantia operatur, *vapulabit paucis*, ut habetur in Evang. Lucæ xii. 48. ſed cum volita ſit indirecſte, eoquod ignorans, ut neceſſaria ſciret diligentiam debitam non adhibuit, non efficit, quin opus ex tali ignorantia patratum cenſendum ſit liberum, ac voluntarium. At ſi quis magis amat laborare ignorantia, ut peccare poſſit liberius, quemadmodum ille, de quo ſcriptum eſt: *Noluit intelligere, ut bene ageret*; adaugetur in eo ratio voluntarii, & peccati; quoniam, ut ſcribit Doctor Angelicus 1. 2. q. 76. art. 4. *Vult ſubire ignorantie damnum propter libertatem peccandi.*

Vidimus hætenus quid ſit humanum Officium, & quando ſit cum voluntate, ac libertate conjunctum. Reſtat ut breviter dicamus de bonitate, ac malitia humanis officiis inſita. Nihil aliud ea eſt, quam cum recta ratione, & immutabili lege veritatis, & æquitatis omnium animis indita, ipſoque Divino lumine creaturæ rationali aſſulgente, convenientia, vel diſſonantia. Quid quid ergo regulæ illi conſentaneum eſt, in genere morum eſt optimum; quid quid à regula illa deſlectit, malum, ac indirecſtum. Explicavi hæc omnia lib. xviii. id eſt in Comment. ad Epigrammata Proſperi cap. iiii. Qualem vero ordinem regula illa præſcribat, dixi ſuperiori libro de legibus cap. iv. ex quo etiam capite, aliisque locis diſſertationum noſtrarum plurimis facillimum erit percipere ſummum, atque incommutabile bonum illud eſſe, ad quod omne opus creaturæ rationalis eſt dirigendum, reliqua creata bona nonniſi illius gratiæ eſſe expetenda. Atque ex his inferitur nullum alium finem admittendum eſſe humanorum officiorum ultimum ac principem, præter Deum ſummum bonum; cætera media eſſe, quibus ſas eſt pro illius conſecutione uti, non autem frui. Quæ omnia ſatis explicata me impulerunt, ut quæ Theologi alii diſputant ſtylo ampliori de voluntario, de libero, de moralitate, ac ſine actu humani

9.  
De bonitate  
& malitia  
humanis officiis  
indita.

Q

ma

manorum, nunc ego cæterarum lucubrationum mearum synopsis ob oculos

lectoris ponerem: quod capite hoc primo complevi.

## CAPUT II.

An detur humanum aliquod opus indifferens, expers scilicet tam nequitiae, quam probitatis.

### SUMMARIUM.

1. An detur opus humanum indifferens.
2. Dantur aliqua ex sua natura indifferentia.
3. An teneamur in Deum referre actiones omnes deliberatas. Proponitur sententia affirmans.

4. Probatur ab aliis, neminem teneri omnia opera in Deum referre.
5. Via media statuitur.
6. 7. 8. & 9. Solutio Objectionum.

I.  
An detur  
opus huma-  
num indiffe-  
rens.

**Q**UÆSTIO instituitur de operibus cum deliberatione ac libertate paratis: nam indeliberatis, ac necessariis nullam meriti, laudisque inesse rationem, quemadmodum nec vituperii, atque malitiæ, satis liquet ex disputatis. Est autem omne opus deliberatum cum fine operantis conjunctum, atque ad objectum aliquod cum advertentia directum: atque hinc, ex objecto scilicet, ac fine suam desumit bonitatem, sive malitiam. Nam quod docet Schola humanorum officiorum qualitatem petendam esse ab objecto verum est, scribente Augustino Epist. 155. *Mores nostri, non ex eo, quod quisque novit, sed ex eo, quod quisque diligit, judicari solent*; atque omnibus fatentibus rationi esse conforme Deum colere, atque diligere, dissonum vero amare turpe lucrum, & illicitam voluptatem. Sed fieri tamen potest, ut operemur erga objectum honestum, & dilectione dignum, & tamen pravus finis vitiet opera, ut si largiamur eleemosynam ad inanem gloriam captandam, aut Deo præstemus obsequium pro temporalibus bonis unice comparandis. Quamquam contingere nunquam potest, ut si objectum malum sit ac prohibitum, operationem rectus finis honestet: propterea fert commune proloquium oriri malum *ex quocunque defectu*. Quare non à solo objecto pensanda est humani officii natura, sed etiam à circumstantiis reliquis, & præsertim à fine, quo allicimur, ac movemur, sive ne penitus abiciamus orationem scholasticam, à *tendentia in objectum*. Hinc dictum alibi cum Augustino, non externo officio, sed fine, vitium, ac virtutem discerni: quod est in hac præsertim quæstione attendendum.

2.  
Dantur aliqua ex sua natura indifferentia.

Si ergo humanum aliquod opus consideretur comparate duntaxat ad objectum, conveniunt omnes, plura esse humana officia suapte natura indifferentia, ut ambulare, levare festucam, ludere pila, aut latrunculis, aliaque

facere nullis legibus vetita: atque schola appellat hæc opera indifferentia *specie*. At si humana actio consideretur *in individuo*, nimirum, ut hic, & nunc ponitur, tali fine, ac tali rerum circumstantia, probabilior est sententia Thomistarum ac omnium Nostratum semper actionem illam esse in genere morum rectam, aut pravam.

Plura differui præcedenti libro XVIII. cap. 3. de operibus moraliter bonis, unde pendet hujus quæstionis solutio. Dixi defendere complures, quod teneamur referre in Deum actiones omnes deliberatas, quorum sententia proximis argumentis fulcitur. I. Est præceptum (inquiunt) charitatis, ut diligamus Deum ex toto corde: quæ dilectio nequaquam haberi potest, nisi referamus in Deum *omnes cogitationes, omnem vitam, & omnem intellectum*, juxta doctrinam Augustini lib. 1. de doctrina Christiana cap. 22. Cui argumento si respondeas præceptum diligendi Deum, cum sit affirmativum, non semper obstringere, inquiunt illius sententiæ Patroni verum id quidem esse, sed cavendum tamen dum actu opera deliberata exercemus, ne in re creata sistat animus, ac fruatur bono aliquo commutabili: quod sane foret ordinem pervertere dilectionis. At nisi referas actiones deliberatas in summum bonum, hæres animo bonis commutabilibus, ordine sanctæ dilectionis turpiter permutato. II. Proferunt testimonium Pauli 1. ad Corinth. x. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Quod si dixeris consilium esse non præceptum; reponent eadem ratione præceptum esse ne fruamur creaturis, quibus uti debemus; iis neminem bene uti absque amore Creatoris, ut docet S. Pater lib. iv. contra Julianum cap. 3. Cum ergo non consilium, sed præceptum sit ordine dilectionis frui solo incommutabili bono, est etiam præceptum non consilium, ut omnia frant in charitate, sive cum relatione in Deum.

III. Pro-

3.  
An teneamur referre in Deum actiones omnes deliberatas, Defenditur ab aliquibus quadruplici argumento.